

## DOMINICA SECUNDA QUADRAGESIMÆ.

EVANGELIUM. MATTH. XVII.

In illo tempore, assumpsit Jesus Petrum et Jacobum et Joannem fratrem ejus et duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba, sicut nix. Et ecce apparuerunt eis Moyses et Elias cum eo loquentes. Respondens autem Petrus dixit ad Jesum: Domine bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, et Moysi unum, et Eliæ unum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde. Et accessit Jesus et tetigit eos dixitque eis: Surgite et nolite timere. Levantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum Jesum; et descendentibus illis de monte, præcepit illis Jesus dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

### CONCIONES.

- I. Transfiguratio seu astutia diaboli.
- II. Bona caelestia quæ Deus offert, qualia.
- III. Quare Christus transfigurari voluerit.
- IV. Quid tractatum sit in comitiis habitis in monte Thabor.
- V. Excessus passionis Dominicæ ejusque causæ.
- VI. Quadruplex hominum transfiguratio.
- VII. Fontes quinque unde promanant gaudia beatorum.
- VIII. Quanti æstimandæ sint indulgentiæ.

- IX. Documenta.
- X. Mystera.

#### CONCIONES AUCTARIÆ.

- I. Media ad transformandum induratum hominem in alterum virum, et cor emolliendum.
- II. Quid actum in monte Thabor.
- III. Quid in monte Thabor videri possit.
- IV. Quare Christus in passione sua fecerit excessum.
- V. Exercitia pia per quadragesimam instituenda.

#### CONCIO I.

##### TRANSFIGURATIO SEU ASTUTIA DIABOLI.

- I. Ducit in montem excelsum. — II. Faciem habet splendens. — III. Vestes habet candidas. — IV. Adducit nubem lucidam. — V. Vocem de nube edit terrificam. — VI. Adhibet suos apostolos. — VII. Producit Eliam. — VIII. Moysem etiam refert.

##### THEMA.

Transfiguratus est ante eos. Matth. XVII.

Tam vere quam sapienter dixit Christus Dominus in parabola zizaniorum, Matth. XIII. venisse inimicum hominem, hoc est, diabolum, et

in medio tritici superseminasse zizania. Nam ut in eam parabolam scribit S. Hieronymus: « Inter triticum et zizania, quod appellamus lolium quamdiu herba est, et nondum culmus venit ad spicam, grandis similitudo est, et in discernendo aut nulla aut perdifficilis distantia. » Ita enim Satan inimicus Christi et Ecclesiæ ejus, miscet fraudes suas verbo Dei, vitæ Christi et doctrinæ christianæ, ac velut simia imitatur Christum et christianam sacra, ut sæpe difficiillimum sit, scilicet primo intuitu, imposturas ejus deprehendere et a veritate christiana discernere. Ecce enim in hodierno evangelio transfiguravit sese Christus coram suis apostolis et ostendit speciem gloriæ suæ, ut hoc æternæ felicitatis prægustu ad amo-

rem et desiderium ejusdem nos accenderet: et adest mox diabolus ac super isto tritico zizania sua seminat, tritico simillima: Ipse enim Satanas, ut scribit his verbis apostolus, II. Corinth. XI. transfiguratur se in angelum lucis. Qui propterea etiam dicitur noctu, dum dormirent homines, id est subdole et callide venisse et zizania seminasse. Et quo alio fine, nisi ut triticum suffocet, piosque a Christi cultu ad suam sequelam abducat, ac demum una secum colligatos detrahat in gehennam ad comburendum? Quare ut ab impostore isto nobis caveamus, detegemus ejus fraudes et zizania prodemus, quantum dabit Dominus.

I. Ducit homines in montem excelsum. Primo, per ambitionem et sanctitatis commendationem eos evehendo in supercilium superbæ, ut elatos dejiciat. Sic decepit Valentem monachum, specie angeli crebro ei apparens, et tandem in forma Christi cum mille angelis lampades tenentibus, quorum unus ei dixit: *Christus dilexit tuam vivendi libertatem et confidentiam, et venit ut videat: egredere ergo et adora eum.* Egressus est et pro Christo diabolum adoravit. Unde factus est adeo emotæ mentis, ut Ecclesiæ ingressus diceret: *Ego non opus habeo communionem; Christum enim vidi hodie.* Quare a patribus in vincula conjectus est, Pallad. cap. XXXIV. Item Heronem eremitam, qui a dæmone angeli specie apparente laudatus, tanti esse meriti dicebatur, ut si ex alto rueret, lædi non posset, sed ab angelis susciperetur. Unde miser demontatus in puteum se præcipitavit, ubi pene extinctus, a fratribus extractus est, et tamen nihilominus in ea superstitione perstitit, Cassian. collat. II. cap. V. Eodem dolo, sed non eodem successu adortus est Abrahamum, Pacomium, Joannem eremitas, Simeonem Stylitam; agnitus enim repulsus est. Quodque his visibili specie fecit, aliis hominibus pietate excellentibus sæpe facit invisibiliter, ingerendo illis cogitationes superbissimas et commendando eorum virtutes ac merita, certificando eos de salute, vel persuadendo eis, se non indigere admonitionibus et verbo Dei, etc. Ubi caveat unusquisque ne in montem vanitatis et presumptionis evehi se sinat, sed potius firmet se in valle humilitatis et timoris, dicatque cum Davide: *Non veniat mihi pes superbæ et manus peccatorum non moveat me.* Secundo, per locorum, statuum, aut exercitorum mutationem, in quibus homo se bene habet. Quemadmodum enim venatores et piscatores feras et pisces, quibus in latibulis suis morantibus nequeunt nocere, strepitu aut illecebris foras proliciunt, ubi productos facile capiunt; ita

etiam homines, qui in certo statu vel exercitio proficiunt et secure vivunt, provocare nititur ad faciles, vanas et inconsideratas mutationes, ut in alio rerum statu capiat, quos in priore capere non poterat. Sic socio S. Friardi, Secundino diacono, in forma Christi apparens suavit egredi ex eremo et infirmos sanare, apud Greg. Turon. lib. II. de vita patrum, c. X. Sic in vultu S. Ursulæ cum multarum virginum comitatu vexillum crucis præferens, (in oppido suburbano prope Aronam) suavit cuidam virgini in paterna domo virginitatis votum observanti, fugere strepitus occurrentium et pericula contaminandæ pudicitie secumque ire ad cœnobium ss. virginum, quo liberius et securius Deo servire posset, etc. Sed a famula Dei deprehensus et repulsus est impostor, ut scribit Franciscus Bencius, in litteris annuis provinc. Medolian. anno 1390. dicebat enim illa, nihil se facere posse absque consilio sui confessarii. Eadem fraude alios multos licet non apparens sollicitat, ut consueta virtutum exercitia et loca deserant, quemadmodum fecit S. Antonio, cogitationibus ejus se insinuans et tanto solitudinis tædio animum ejus pulsans, ut ille quid jam agere deberet, dubius, ad Deum exclamaret dicens: *En ego, Domine Jesu, cupio his in locis tibi famulari, et nescio quo me invitum subinde rapit violenta mentis meæ evagatio.* Hæc dicenti angelus apparuit, monachali habitu, modo genua flectens, modo fiscellas texens, postea Antonio dicens: *Ita et tu fac, Antoni.* Sic laboris vicissitudine tentamenta vicit Antonius Athan. in ejus vita.

II. Faciem habet resplendentem instar solis, qui ut dicitur Job XLI. *Omne sublime videt.* Videt enim affectus nostros et considerat debiliorem animæ nostræ partem et ex ea illam oppugnat. « Sicut optimus dux, (ait Cyrillus, I. IX. in Joan. cap. XVI.) civitatem expugnaturus, prius eam considerat et circumspicit omnia mœnia, si forte videat aliquam muri partem inclinatam aut minantem ruinam, quam ubi observat, versus illam omnes munitionis suæ machinas dirigit, ita diabolus circumquærens quem devoret. » I. Pet. V. Observat qua ex parte quis infirmetur, in quam partem appetitus vel affectus inclinetur et quasi ruinam minetur, ut eam tentationum suarum ictibus quatiat. Sic esurienti Domino panes proposuit, cumque videret ejus abstinentiam miram et heroicam, tentavit eum de superbia, ut dejiceret se de templo, velut excipiens mox ab angelis, et ubi vidit eum humilitati addictum, tentavit eum de animi dejectione, ut videlicet cadens ipsum adoraret. Itaque observat dæmon gressus et vias hominis, ad quas eum

inclinatum videt, ut ibi laqueos ei tendat. Hoc sensu dictum vult Irenæus, lib. contra hæres. cap. XXI. dæmoni: *Tu insidiaberis calcaneo ejus*, id est, affectui et inclinationibus hominis, q. d. observabis ejus vestigia quæ terit, et vias ad quas propendet. Calcaneus terræ adhæret, adeoque sensuales animæ affectus denotat, qui in sensum et voluptates proni sunt et labiles. Observat igitur primo, humores et complexiones hominum; deinde, occupationes et studia, ad quæ magis eos inclinatos videt, et sicut muribus muscipulæ in iis statuuntur viis, quas potissimum terere notantur; ita dæmon *ibi decipulam ponit, ubi esse semitam mentis conspicit*, ut scribit S. Gregor. I. XIV. moral. ca. VI. sic videns Judam tamquam parietem inclinatum ad furta et avaritiam, impexit eum ad proditorem; videns Davidem otiosum, surgentem de strato post meridiem et deambulantem in solario, impexit eum in adulterium; videns Evam prope lignum vetitum, curiose id aspicientem, impulit eam ad comestionem. Denique: « Novit (inquit S. Leo, serm. VII. de natali Domini) cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ: novit quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat, omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, etc.

III. Vestimenta gerit candida velut nix, quemadmodum etiam Apoc. XVII. visa est mulier circumdata purpura et coccino et inaurata auro et lapide pretioso et margaritis, super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiarum sedens: quia diabolus bestia invida et blasphema introducit impietatem pulchre vestitam, virtutum fuco inauratam, non auream. Primo, dum sub ementita virtutis, æquitatis aut veritatis specie tentat viros potissimum bonos et Deum timentes, quibus suadet interdum vigiliis et jejuniis immoderata, quibus fractum corpus deservire ad debita officia nequeat; quemadmodum fecit Joanni abbati, viro alioquin discretissimo apud Cassianum, coll. I. c. XII. Cum enim ei malignus biduanum jejunium suasisset, unde exhausto corpore ad alia munia inidoneus fiebat, tum apparens ei specie tetri pueri: *Ignosce mihi, inquit, quia ego tibi hunc laborem induxi*. Alios longis et importunis precationibus quotidianis onerat; alios sub specie piarum precum et rerum benedictarum usu ad superstitiones trahit in iisque fovet; alios ad peregrinationes crebras et longas evocat, ut quietem suam relinquentes, profanis rebus inescantur et curiositatibus implentur. Unde monet Sapiens, Proverb. XVI. *Est*

*via quæ videtur homini recta, et novissima ejus ducunt ad mortem*. Sane dæmon beato Macario apparuit in eremo specie puellæ derelictæ volentis in eremo Deo deservire, quare admissus in cellam ejus, cœpit mox pulsare animum ejus pessimo amore et ardore in puellam, sicque irridens eum evanuit, apud Raderum, I. p. viridarii: ss. alios ut a jejunio avertat, specie æquitatis et charitatis monet vitæ suæ consulere et parcere, quo pluribus prodesse et vitam conservare possint; quomodo meditantur aliqui dæmonem Christo in deserto suasisse ut vitam suam universo orbi utilissimam tanto jejunio ne conficeret, sed aliis conservaret, etc. sic sub titulo æquitatis, necessitatis, charitatis, etc. multis persuadet frangere jejunium vel petere dispensationem, violare festa, etc. Alios a frequenti communionem avertit sub prætextu reverentiæ, quasi inter negotia non possint vacare tam pio operi, sicut decet, etc. cum tamen haudquaquam indecens sit post ss. communionem se dare ordinariæ functioni, imo longe melius quam sine devotione sedere in ecclesia, vel circumire templa cum risu et garritu sensuumque evagatione, in quo plerique communionis diem transigunt.

Secundo, dum ea, quæ culpa vacant, proponit sectanda et secure facienda, ut hinc in gravia scelera impellat. Dicit verbi gratia divitias et luera parare, vestibis se ornare, ad choreas, ad conventicula nocturna pergere, ludo se recreare, comessionibus et comotationibus interesse, indulgere mero in jejunii tempore, nonne hæc concessa sunt et omni labe carent? En tibi vestem nitidam. Sed quam difficile est ambulantem in luto vestem talem non collutulare, tam difficile est inter prædictas et similes peccandi occasiones immaculatum se custodire. Petit enim dæmon modicum tantum a silva lignum, juxta fabulam illam, ex quo facit manubrium, cujus ope postea exscindit totam silvam. Quare ne fidamus niveæ ejus vesti, sed sedulo eam rimemur, an sub ea lateat atra. Negemus illi etiam modicum lignum, quo cadere nos possit, negemus non modo quæ peccata sunt, sed etiam quæ prope peccata sunt. Quid enim juvat, si hoc vel illud in se malum non est, si nobis malum est?

IV. Adducit nubem lucidam et obumbrantem. Primo, quia peccatorum delicias monstrat, difficultates et mala inde prodeuntia tegit; guttam mellis in illis ostendit, cadum fellis abscondit, sicque ea nube tegit ex illa parte lucida, ex hæc vero tenebrosa. Ut enim astutus piscator hamum sub esca condit, sic dæmon aculeum peccati sub esca malorum voluptate. Nonne ante

oculiduum vidimus, qua ratione diabolus ostenderit Christo regna mundi et gloriam eorum? Sed ubi ostendit difficultates eorumdem, metus, curas, labores, discrimina, necessitatem reddendæ rationis, etc.? Nusquam. Secundo, quia obscurat oculum illum, qui cœlestia contempletur; eum vero qui terrena intuetur apertum homini relinquit, quemadmodum Pharaon ita occupavit et laboribus oneravit Hebræos, ut ad opus luti tantum intenti essent, de sacrificio et Dei sui cultu non possent cogitare. Figuratus est idem dæmon in Naas rege Ammonitarum, qui eo pacto voluit ferire fœdus cum Hebræis, ut omnium illorum erueret oculos dextros, I. Regum XI. Naas idem est quod serpens; diabolum ergo denotat, qui hoc fœdum fœdus percuteere vult cum hominibus, ut superna negligant, terrena tantum cogitent, et in humanis acutum videant, in divinis vero cœtiant.

V. Vocem de nube edit quasi vocem tonitru, qua terrere nititur Dei servos ut præ timore in faciem cadant, quemadmodum discipuli in hodierno evangelio ceciderunt. Nam, ut ait S. Cyprianus, tract. de zelo: *Cum latenter non potest fallere, exerte atque aperte minatur, terrorem turbidæ persecutionis intentans, ad debellandos Dei servos*. Primo enim, terret plerumque incipientes metu et difficultate perseverantiæ. Sic B. Ignatio Loyolæ viam salutis inchoanti dixit: *Quomodo hæc et hæc sustinebis per sexaginta annos quibus victurus es?* Osor. IV. tom. conc. Sic B. Vincentio Ferrerio legenti librum de virginitate Deiparæ et pro eodem dono eam imploranti reddita est vox: *Non omnes possumus esse virgines, nec deinceps patiar ut tam honorato nomine gaudeas*. Quæ vox cum percelleret virum Dei nescientem unde profecta esset, apparuit ei Deipara dicens: *Verba illa paulo ante ad te facta diaboli fuerunt, qui tibi proponit bonorum operum difficultatem, ut territus ab incepta virtute desistas*, ut in ejus vita, apud Sur. 5. april. I. I. c. XI. Quare ad ejusmodi vocem nemo terreatur, quia *omnia possumus in eo, qui nos confortat*.

Secundo, terret scrupulis et pacem animæ turbat; quomodo scrupulus, id est, lapillus in calceum injectus pedem vexat et retardat. Hunc lapillum injicit dæmon his maxime, qui natura pusillanimes sunt ac pavidi. Verum in hoc casu faciendum, quod Silvester, verbo scrupulus, refert tradidisse defunctum virum religiosum amico superstiti: *Consule, ait, virum doctum et pium, maxime confessorium, et ei pare ac obtempera, et securus eris*.

Tertio, terret nefandis cogitationibus infidelitatis, desperationis, blasphemiarum, rerum turpissimarum, etc. quibus involvit multos, ut existiment a se tales cogitationes procedere, cum tamen a diabolo procedant. Sed hæc quo fœdiora et animo nostro abominabiliora sunt, eo minus curanda et in caput nequissimi rejicienda; quemadmodum et Christus execranda illa tentatione de adorando dæmone nihil prorsus est infectus, sed impudentem hostem a se repulit: *Vade Satana*. Idipsum hoc exemplo confirmat Joannes Climacus, gra. XXIII. « Monachus quidam studiosus, cum a dæmone perturbaretur cogitatione blasphemiarum ad viginti annos, carnem suam jejunii et vigiliis macerare non destitit. Cum vero inde nullam utilitatem se cepisse sentiret profectus, conscriptam in charta perturbationem ac tentationem suam sancto cuidam ac probatissimo seni obtulit in faciem prostratus, nec illum intueri valens. Ut autem legit senior subrisit, fratremque erigens dixit: *Pone, fili, manum tuam super oculum meum*. Quod cum fecisset, ait senior: *Super collum meum sit, frater, hoc peccatum, quotquot annis te oppugnarit, vel oppugnaturum sit; tu autem id observa, ut hoc jam flosci pendas, et nihili æstimas*. Quibus verbis ita roboratus est frater, ut non ante cella senis excederet, quam ejusmodi morbus evanesceret. Hoc autem is qui expertus est, mihi postea enarravit, Deo gratias referens. » Sic ille.

Quarto, terret minis interdum infestationum perpetuarum et diuturno conflictu, spectris etiam horrendis. Unde S. Antonius, apud Athan. in vita, ait: *Cum cogitatione nihil egerint, pavore terrent*; quo modo terruit S. Job nutiando ei cladem; et minatus est S. Pacomio dicens: *Quantum possum impugnare vos non desinam*. Sed hæc omnia contemnenda sunt et fiducia in Deo ponenda, cum sciamus nihil eum nobis nocere posse, nisi quantum ei Deus concesserit.

VI. Adhibet apostolos suos, charissimos homines scilicet, nobis familiares et valde charos, quorum nos interventu conatur in rete suum trahere, quos per se non potest. Sic cum Sancto Job omnia vastasset, uxorem tantum ei reliquit, quo nimirum eam velut ultimum ac fortissimum arietem adhiberet ad mariti patientiam expugnandam, Job II. sed nihil apud eum obtinuit; eductus enim erat Job lapsu parentis nostri Adam, qui eodem dæmonis astu per uxorem sibi charam in lapsum est impulsus, non impellendus utique, nisi conjux intervenisset. Eodem modo per amicos alios solet loqui dæmon et impetrare multa, quomodo locutus est per serpentes et impetravit consensum ab Eva, et per hanc ab Adamo, quæ alias non impetraret. Agnoscerdus igitur in his est sibilus diaboli et

dicendum ei, quod dixit Christus Dominus Petro in simili negotio: *Vade retro post me, Satana, non sapis ea, quæ Dei sunt.*

VII. Producit quoque Eliam, id est, zelum et fervorem indiscretum (Elias enim zelo Dei ardentissimo commendatur) quo incitat potissimum incipientes, ut vitæ sanctæ asperitate, difficultate et tædio victi resiliant et ad pristinam vitæ licentiam redeant. In hunc finem dæmon, ut docet S. Antonius, apud Athan. excitat dormientes ad orandum, ut somnum corpori necessarium eripiant; ingerit peccata pristina, indeque incitat ad indiscreta jejunia et pœnitentias, quibus animum et corpus enervent. Hinc quemadmodum iter longum suscipientes, si primo die nimium festinant, vel se vel jumentum conficiunt lassitudine, ut progredi deinde nequeant; ita hujusmodi zelotes cibo delassantur in perfectionis studio.

VIII. Moysen denique refert, hoc est, mitem se (quo nomine potissimum Moysen commendatum legimus) et pacificum exhibet, dum multoties pacem dat tentatis: imo victum se et mortuum ad instar vulpis simulat, ut incautos et securos rursum adoriatur. *Mare si tranquillum in portu a cursu stabit et murmuraverit intra se, ventum prædicat,* ait Plinius, l. VIII. cap. XXXV. Hinc Siculus quidam, cum ficos vehens, procella correptus naufragium fecisset, ac mox sedens in littore, mare tranquillum videret, urbane inquit ad mare: *Novi quid velit; ficos nimirum,* Bruson. l. IV. c. XXV. Sic et tu cum post pugnam videris quiescere dæmonem, noli ei fidere; novas quippe insidias tibi machinatur. Cum enim se tranquillum monstrat, præsertim si prius victus est, tunc murmurat intra se et cogitat de ultione et reditu fortiore cum septem aliis spiritibus se nequioribus. Suspecta ergo debet esse Dei servis ejusmodi insueta pax et tranquillitas. Sic legimus, Jud. XVIII. sexcentos viros Danitas venisse in Lais ad populum quiescentem atque securum, hoc est, ob longam pacem ad bella imparatum, et percussisse eos in ore gladii et urbem incendio tradidisse, nullo penitus ferente præsidium, eo quod cum nullo hominum haberent quidquam societatis aut negotii. Videat ergo unusquisque, ne otio se tradat et præsidii se destituat. Quin potius vigilet super se, quemadmodum civitates solent hostibus vicinæ, licet hostes illos non videant in armis. Ad hæc inerat fœdus et societatem cum angelo custode, sanctis, confessario, libris piis, frequenti confessione et communione, etc. Ita David non fidebat Sauli, sibi reconciliato domum abeunti, sed ascendit in tutiora loca, II. Reg. XXIV. noverat

enim inconstantem ejus animum. Quando ergo zizania a tritico dignoscere didicimus, adeoque inimicum hominem, seminatore pessimum; superest, ut vigilemus et fraudes ejus quamprimum detegamus; dicamusque cum hæc illo ad caprisantem lupum: *Tametsi vas caprisat, ego tamen per rimam lupum video.*

## CONCIO II.

## BONA COELESTIA, QUÆ DEUS OFFERT QUALIA

I. Sunt vera ac solida. — II. Pura et sincera. — III. Secura et stabilia. — IV. Perfecta et completa. — V. Reipsa exhibentur. — VI. Vili emuntur

## THEMA.

*Duxit illos in montem excelsum seorsum, et transfiguratus est ante eos. Matth. XVII.*

Vidimus ante octiduum mercimonium diaboli, propositum vænale in monte excelso valde, et examinavimus ejus merces, sed eas non modo multis modis invenimus depravatas, verum etiam nimium quantum caras. Hodierno die Christus suam officinam aperit et bona sua cœlestia vænalia proponit, nemini non spectanda, et quidem in monte itidem excelso. Examinemus ergo nunc merces Christi, et si placuerint, emamus.

Cœlestia illa bona, quæ præparaverit Deus diligentibus se, depingit Isaias, c. XXV. specie convivii omnibus bonis instructi. *Faciet Dominus exercituum, inquit, omnibus populis in monte hoc convivium pinguium; convivium vindemiæ; convivium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Quibus verbis exponitur, qualia sint bona, quæ proponit nobis Christus emenda et possidenda.

I. Bona cœlestia sunt bona vera ac solida, uti ostendit hodierna transfiguratio, quæ nequam fuit phantastica aut somnium (quemadmodum representatio regnorum mundi Christo objecta a diabolo, fictitia fuit) quia non dormientes, sed de somno evigilantes eam viderunt discipuli, ut ait Lucas. Ad hæc viso Christi splendore, et audita Patris voce consternati ceciderunt in faciem suam et timuerunt valde. Unde S. Petrus, epist. II. c. I. veritati hujus visionis testimonium præbens asserit: *Non enim doctas fabulas seculi, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et præsentiam, sed speculatores facti illius magnitudinis, etc. et hanc vocem nos audivimus de caelo allatam, etc.* Quod vero bona, quæ ibidem vidit et gustavit cum sociis Petrus, solida fuerint,

colligi ex eo potest, quod ibidem permanere semper voluit: *Domine, inquit, bonum est nos hic esse: faciamus hic tria tabernacula, etc.* q. d. Domine, ne patiaris nos hinc abire, jucundum est hic esse. Nullum est mundi bonum, in quo constantem et solidam delectationem ac quietem invenire possit homo. Inde nullo loco consistit, nulla re contentus est, sed quod hodie amavit, cras odit et fastidit, semperque aliud et aliud quærit. Unde S. Bernardus, serm. I. de adventu, homines qui omissis veris et salutaribus studiis, caduca potus et transitoria quærent, ait similes esse his, qui mersi periclitantur in aquis. « Videas enim eos, inquit, tenentes tenere, nec ulla ratione deserere, quod primum occurrerit manibus, quidquid sit illud, licet tale sit aliquid, quod omnino prodesse non possit, ut sunt radices herbarum cæteraquesimilia. Sic pereunt in hoc mari magno et spatioso, sic pereunt miseri, dum peritura sectantes, amittunt solida, quibus apprehensis emergere et salvare possent animas suas. » Prorsus sicut tempore diluvii homines varias quærebant effugia, et si in tecta ascendebant, inde vi aquarum pulsati in arborum cacumina se receperunt; unde rursum abacti, ad colles et montes enatarunt; nullibi tamen persistere potuerunt. Ibi qui in altissimam turrim vel montem se receperunt, putabant initio se tutos esse, bonum esse ibi manere, sed paulo post adsurgente aqua etiam ibi timere cœperunt, aliumque locum quæsiverunt, nullibi tamen asylum repererunt: quia nimirum ad arcam, in qua sola erat securitas, se non receperunt: at nulla in mundo soliditas, ubi pes figi secure possit; solo in cœlo et cœlestibus bonis invenitur.

Hinc bene Isaias ea bona vocavit convivium, non utique dictum aut fictum, quale Heliogabalus imperator fertur apposuisse suis convivis, sed verum, pinguium item epularum et medullatarum seu lectissimarum; non ossearum et aridarum, quas dum rodit homo, fatigatur, et interim famelicus permanet, nihilque solidæ nutritionis ac gustus percipit ejusmodi sunt bona mundi.

II. Sunt pura et sincera, nullis permixta malis, curis, periculis, laboribus. Idcirco in monte excelso voluit Dominus ostendere gloriam suam, quia montes prælati, uti Olympus, liberi sunt a tempestatibus, ita ut litteræ in Olympi vertice, pulvere inscriptæ, volvente anno reperiantur integre, teste Solino; deinde purissimum adeoque saluberrimum alunt aerem. Ejusmodi autem vitæ tranquillitas et voluptatum puritas in cœlo invenitur, sub luna nullibi est, sed ubique in

mundo tempestates, ubique curæ, pericula et labores. In puro cœli aere perpetua sanitas, voluptas, pax, abundantia, gloria et vita.

Hoc idem expressit Isaias, cum convivium cœleste dixit fore vindemiæ defæcatæ, hoc est, vini clarissimi adeoque saluberrimi; constat enim vina fæculenta, uti mustum, insalubria esse. Bona terrena mustum sunt seu vinum turbidum, quod licet suave sit, noxios tamen post se relinquit effectus. In cujus rei significationem pincerna Pharaonis videbatur sibi per somnium, exprimere manu sua uvam in craterem sui regis, quo significabatur eum Pharaoni, ut antea solebat, poculum ministraturum, Gen. XL. Erat ergo vinum illud recens expressum non nisi mustum fæculentum, et significabat ipsas etiam regum delicias perturbatas esse, mixtasque doloribus, periculis, curis et timoribus. Romani imperatores et consules in mediis triumphis et summis honoribus convicia audire debebant seu insultatorias cantiones. Talis erat illa in Julium Cæsarem triumphantem: *Urbani, servate uxores: mæchum calvum adducimus;* et illa in Ventidium Bassum: *Qui fricabat mulos, consul factus est,* adeo nullum in mundo gaudium purum. Non sunt talia bona cœlestia, sed vina defæcata. Unde mox explicans subdit Isaias: *Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati, id est, flagella et miserias ex peccato originali in humanum genus invectas: Et telam quam orditus est, id est, decretum mortis, super omnes nationes, scilicet positum.* Unde sequitur: *Præcipitabit mortem in sempiternum et aufert Dominus Deus lacrymam ab omni facie, etc.* Ægyptii in conviviis cranium hominis mortui ponebant, ut se invicem monerent moriendum sibi esse. Sed ibi Deus præcipitabit mortem et flagella omnia quibus hic castigamur. Quod idem S. Joannes, Apoc. XXI. edixit inquit: *Absterget omnem lacrymam ab oculis eorum et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Ecce vincula mortalium, quibus in hoc mundi carcere ligantur, in cœlo vero exuentur.

III. Sunt secura et stabilia per omnem æternitatem. Ad hoc significandum dicitur transfiguratio facta seorsum, hoc est, in loco abdito et securo, quo nemo facile solet accedere. Bona ergo cœli seorsum sunt, quia reposita loco utique reconditissimo et securissimo, in quo solo thesaurizare jubet Dominus, quia nec fures ibi effodiunt, nec tinea demolitur.

Idem insinuavit Isaias, cum dixit Dominum exercituum (qui nimirum omnibus imperat et omnes coeret hostes) præparasse electis convivium medullatorum. Ut enim medulla in ossa